



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PINSKENSIS**\* TERRITORIUM APTIUS  
DEFINITUR SIMULQUE

**DIOECESIS PINSKENSIS SUFFRAGANEA ARCHIDIOECESIS**

**MINSKENSIS-MOHILOVIENSIS DECLARATUR** Quia ob rerum eversionem alterum bellum pancosmicum subsequentem etiam fines territoriales dioecesis Pinskensis mutationem quandam passi sunt, et quae antea constituta erat sub ditione Poloniae, nunc fere integra est posita intra politica confinia Reipublicae Bielorussicae in Sovietica Unione, opportunum duximus aptius territorium dioecesis Pinskensis Latinorum definire, ratione habita etiam novae finium mutationis. Qua de causa Venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopus titulo Truentinus, in Foederatis Civitatibus Sociali-Micis Sovieticis Apostolicae Sedis Legatus, quo melius spiritualibus necessitatibus communitatum dioecesis Pinskensis aliarumque ritus Catini exstantium in parte meridiana Bielorussiae caveretur, petivit ab Apostolica Sede ut dioecesis Pinskensis Latinorum fines comprehenderent etiam duas regiones, quibus vulgo nomen Brest et Gomel', atque ut suffraganea fieret Archidioecesis Minskensis-Mohiloviensis noviter creatae. Nos autem, rebus attente perspectis, audito favorabili voto Venerabilis Fratris Angeli Sodano Archiepiscopi titulo Novacaesariensis, Prosecretarii Status, necnon Venerabilis Fratris Ioannis Ludovici Tauran, Archiepiscopi titulo Theleptensis, Commissionis pro Russia Praesidis, postulationi concedendum esse censuimus. Quapropter, Nostra utentes Apostolica potestate et auctoritate, his Litteris, fines dioecesis *Pinskensis* Latinorum ita immutamus, ut iidem cum limitibus civilium regionum seu « Oblasti » Brest et Gomel' convenient, sede tamen manente in urbe vulgo Pinsk. Ad haec perficienda Venerabilem Fratrem legamus Franciscum Colasuonno, omnibus eidem factis necessariis et opportunis facultatibus etiam alium sacerdotem delegandi ad effectum de quo agitur, onere imposito remittendi ad Pontificiam Commissionem pro Russia actus peractae executionis sincerum exemplar. Datum Romae, apud S. Petram, die tertio decimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.	IOANNES LUDOVICUS TAURAN
<i>Prosecretarius Status</i>	<i>Pont. Comm. pro Russia Praeses</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 7, pp. 542-543 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

---

